PRAEFATIO
PRIORIS EDITIONIS.

QVEMADMODVM boni militis eſt, arma, quibus ſemetipſum non tantum defendere, ſed hoſtes quoque ſtrenue aggredi, vincere, ac profligare tenetur, exactius, ratione formæ atque uſus, cognoſcere; ſic doctum pariter, conſcientioſum ac rationalem decet medicum, ſelectiora, tuta & activa, ſanitatis conſervandæ ac reſtaurandæ præſidia, quoad formam externam, indolem, prin-

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf urn:nbn:de:hbz:061:2-146875-p0011-3 DFG

cipia activa, modum operandi, vires & usum, probe cognita sibi atque perspecta reddere; præsertim, cum nostro ævo supellex pharmacevtica, quæ priscis temporibus valde curta erat, tanta paullatim sortita fuerit incrementa, ut notitia pharmacorum, quoad sola etiam nomina, artis salutaris tyroni jam grave facessat negotium, & prudentiores ideo medici, qui præstantiora duntaxat seligere jubent, numerum eorum nunc magis minuere, quam amplius augere satius ducant. Pridem ego ita sentientibus meum adjeci calculum, & ante triennium ea propter, ut aliquid pariter opera mea qualicunque ad promovendum utile hoc negotium conferrem, *Rudimenta materiæ medicæ rationalis*,

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf urn:nbn:de:hbz:061:2-146875-p0012-9 DFG

in qua generaliora de ſimplicium ſelectiorum differenti natura, principiis activis, modo operandi atque virtutibus medicis tradita fuerunt, in uſum cumprimis auditorii mei, typis imprimenda curavi, poſtea vero, cum quotidie animadverterem, æque magnum, immo majorem, præparatorum atque compoſitorum chemicorum & pharmacevticorum reperiri numerum, & bona, mala, tuta, periculoſa, activa, inertia, promiſcue congeſta eſſe, ac paſſim in Officinas introducta, ea quoque, ut ulterius auditorum meorum commodo inſervirem, ſcrutinio exactiori ſubjicere, & uſitatiora, rejectis minus uſitatis, aut minus concinnis plerisque, in ordinem & ad

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf urn:nbn:de:hbz:061:2-146875-p0013-4 DFG

certas claſſes genericas, horis ſubciſivis, redigere allaboravi. In principio nondum mihi animus erat, natum inde opuſculum in publicam emittere lucem, ſed potiora auditorum calamo duntaxat communicare decreveram; verum, cum paullo poſt temporis, in Collegiis orationi liberiori maxime deſtinati, haud leve diſpendium, ſcribendi moleſtia, immo, errores varii, tam reales, quam verbales, qui frequentiſſime a medicinæ tyronibus, dum dicta excipiunt calamo, committuntur, animum ſubirent, iisdemque ſincerum aliis quoque inſerviendi ſtudium accederet, evulgandi conſilium cepi. Dividere opuſculum placuit in duodecim Sectiones,

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf urn:nbn:de:hbz:061:2-146875-p0014-0 DFG

in quibus de pharmacologia in genere, de ſpiritibus, oleis, aquis, liquoribus medicatis diffuſioribus, vinis medicatis, eſſentiis, tincturis, elixiriis, balſamis liquidis, ſalibus acidis, alkalicis, mediis & mixtis, ſublimatis, floribus, ſalibus ſiccis volatilibus, præcipitatis ſtricte ſic dictis, magiſteriis, regulis, calcibus, crocis, ſulphuribus, vitris, reſinis, extractis, ſuccis inſpiſſatis, pulveribus ac ſpeciebus compoſitis, maſſis pilularum, rotulis, morſulis, trochiſcis, ſyrupis, aquis & acetis mulſis, oxyſacharis, elæoſacharis, julapiis, conſervis, electuariis, unguentis, balſamis externis, ceratis & emplaſtris agitur, ac, præter conſuetam præparandi metho-

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf urn:nbn:de:hbz:061:2-146875-p0015-6 DFG

dum, etiam natura eorum, vires & usus medicus describuntur. Cuncta præparata, tum chymica, tum pharmacevtica stricte sic dicta, quæ in hoc opusculo occurrunt, usitatioribus quidem adnumeranda sunt, non omnia tamen, quod in limine fateri haud erubesco, locum inter selecta & activa merentur; retinenda nihilominus & illa fuerunt, quoniam medicorum plerique iisdem in praxi, quanquam absque ullo emolumento, aut citra perfectam tamen securitatem, frequentissime utuntur: Meam cæteroquin epicrisin illis subnectere, & inertiam eorum aut genium nocivum ostendere nullibi neglexi. Circa præparatorum spagiricorum descri-

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf urn:nbn:de:hbz:061:2-146875-p0016-2 DFG

ptiones, quæ cum notis ſubjunctis, pro materiæ ſubſtratæ conditione & dignitate differenti, alibi prolixiores exiſtunt, alibi breviores, tam meam, quam aliorum, præſertim chymicorum celebrium, experientiam ſecutus ſum; quod compoſita autem ac præparata pharmaceutica, ſtricte ſic dicta, attinet, illa plerumque ſecundum *Diſpenſatorii Brandenburgici* præſcriptum ac normam tradidi, ita tamen, ut paſſim rejicienda non minus, quam addenda atque emendanda modeſte indicaverim. Plura quidem ſcitu notatuque digna ubivis inſerere potuiſſem uberius; attamen, ne tractatus, auditorum meorum uſui, uti in antecedentibus pridem dixi, præcipue dicatus, contra ſcopum in molem juſto

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf urn:nbn:de:hbz:061:2-146875-p0017-7 DFG

majorem excreſceret, intra arctiores terminos memet continere neceſſarium duxi, præprimis, cum ob varia negotia alia temporis, huic labori impendendi, penuria, brevitatis ſtudium mihi quotidie imperaret. Humaniſſime interea Lectorem benevolum & medicæ ſcientiæ gnarum rogo, ut opellam hanc, in proximi commodum ſuſceptam, æqui bonique conſulat, errata typographica, quæ propter abſentiam meam hinc inde irrepſerunt, amice corrigat, & ſua pariter meditatione atque inquiſitione practica artis pharmaceuticæ rationalis incrementum magis magisque promovere annitatur. Dabam Trajecti Francorum ad Viadrum, die XII Januarii MDCCXLV.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf urn:nbn:de:hbz:061:2-146875-p0018-3 DFG